156. 101

Stephanus Dei gratia Rex Poloniæ magnus Dux Lithua:
niæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Livoniæque etc. princeps Transylvaniæ.

Generoso Michaeli Niewiarowski Exactori Ducillarum Palatinatus Pod:
lachiæ fideli nobis dilecto gratiam nostram Regiam. Generose fidelis nobis
dilecte. Sperabamus omnino F. T. cognita et perspecta praesenti Reipub:
necessitate in numerando Stipendio Nobili Falci Prewnowski Rot:
magistro nostro ex ducillari Contributione Palatinatus Podlachiæ apud F. T.
assignato mandato et voluntati nostræ sine omni excusatione, quemadmo:
dum viro probo decebat, satisfacturum esse, neque putabamus F. T. cum
res mora non patiatur, aliquibus diffugiis et artibus usurum fuisse.
Cum tamen contrarium experiamur videamusque ita sibi F. T. persuasisse
ut malit potius coactus, quam ultro et sponte sua causaque R. P. id quod
merito debeat facere. Proinde nunc iterum mandamus F. T. si difficul:
tatem maiorem, quae procul dubio sequeretur avertere, sibi vero consu:
lere vult, eam rationem ineat, ut mandatis nostris alioquin iustis obtemperet,
numeratoque Stipendio assignato voluntati nostræ atque adeo necessitati
praesenti reipub: potius satisfaciat, quam vel procrastinando tempus satis
commodum frustra conterat, vel utilitati et commodo aliquo privato mo:
rem gerat. Alioquin nisi mandata nostra curaverit, nos sciat non esse id
impune laturos, immo omnem negligentiam et temporis ad res gerendas idonei
iacturam, damnaque omnia quae propterea evenirent non aliunde quam
ex possessionibus et facultatibus F. T. requisituros et recompensaturos
esse. Facturosque opera ne frustra hoc F. T. mandasse et praecepisse
videantur. Secus autem pro officii sui debito et gratia nostra facere non
audeat. Datum Mscibovij die quinta mensis Aprilis Anno Domini
M. D. LXXXI Regni vero nostri anno Sexto.

Stephanus Rex



Ja Szczesni Drzewowski [illegible]

[illegible] Kwituję

[illegible] Urodzone[go] [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

R[oku] 1581.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] podpisał

[illegible]

[illegible]



List ku je(g)o m(iłoś)ci abym
oddal Dopont pann
Berwiczowskiem na
ktorym lyst dal
100 zl złotych



Recognus a b(?)ru
nd(?).

ab Alexandro Dnalki
Bellaw A(nn)o 1580.
Novembrio 8 j